



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

The Works Of The Right Honourable Joseph Addison, Esq.

In Four Volumes

Addison, Joseph

London, 1721

Poemata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53615](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53615)

P O E M A T A.

VOL. I.

Ecc



HONORATISSIMO VIRO
CAROLO MONTAGU
ARMIGERO,
SCACCHARII CANCELLARIO,
ÆRARIII PRÆFECTO,
REGI à SECRETIORIBUS
CONSILIIS, &c.



UM tanta auribus tuis obstrepat vatum
nequissimorum turba, nihil est cur que-
raris aliquid inusitatum tibi contigisse,
ubi præclarum hoc argumentum meis
etiam numeris violatum conspexeris.

Quantum virtute bellica præstent Britanni, recens ex
rebus gestis testatur gloria; quam vero in humaniori-
bus Pacis studiis non emineamus, indicio sunt quos
nuper in lucem emisimus versiculi. Quod si CON-
GREVIUS ille tuus divino, quo solet, furore correp-

E e e 2

tus

DEDICATIO.

tus materiam hanc non exornasset, vix tanti esset ipsa Pax, ut illa lætaremur tot perditissimis Poetis tam misere decantata. At, dum alios infector, mei ipsius oblitus fuisse videor, qui haud minores forsan ex Latinis tibi molestias allaturus sum, quam quas illi ex vernaculis suis carminibus attulerunt; nisi quod inter ipsos cruciatus lenimentum aliquod dolori tribuat tormenti varietas. Nec quidem unquam adduci possem, ut poema patrio sermone conscriptum oculis tuis subjicerem, qui ab istis conatibus cæteros omnes scribendo non minus deterres, quam favendo excitaveris.

HUMANITATIS TUÆ

CULTOR DEVOTISSIMUS,

JOSEPHUS ADDISON.

Pax G U L I E L M I Auspiciis Europæ
reddita, 1697.

P O S T Q U A M ingens clamorque virum, strepitusque tubarum,
Atque omnis belli cecidit fragor; aspice, Cæsar,
Quæ tibi solliciti, turba importuna, Poetæ
Munera deducunt: generosæ a pectore flammæ,
Diræque armorum effigies, simulachraque belli
Tristia diffugiant: O tandem absiste triumphis
Expletus, penitusque animo totum excute Martem.

Non ultra ante oculos numerofo milite campi
Miscentur, solito nec fervent arva tumultu;
Stat circum alta quies, curvoque innixus aratro
Desertas fossas, et castra minantia castris
Rusticus invertit, tacita formidine lustrans
Horroremque loci, et funestos stragibus agros.
Jamque super vallum et munimina longa virescit
Expectata seges, jam propugnacula rident
Vere novo; infuetos mirabitur incola culmos,
Luxuriamque soli, et turgentem a sanguine messem.

Aspicias ut toto excitus venit advena mundo
Bellorum invisens sedem, et confusa ruinis
Oppida, et everfos flammarum turbine muros!

Ue

Ut trepidos rerum Annales, tristemque laborum
 Inquirat feriem, attonitis ut spectat ocellis
 Semirutas turres, et adhuc polluta cruore
 Flumina, famososque ORMONDI volnere campos!

Hic, ubi saxa jacent disperso infecta cerebro,
 Atque interruptis hiscunt divortia muris,
 Vexillum intrepidus * fixit, cui tempora dudum
 Budenses palmæ, peregrinaque laurus obumbrat.
 Ille ruens aciem in mediam, qua ferrea grando
 Sparsa furit circum, et plumbi densissimus imber,
 Sulphuream noctem, tetrasque bitumine nubes
 Ingreditur, crebroque rubentem fulgure fumum.
 Ut vario anfractu, et disiectis undique saxis
 Mænia discedunt, scopulisque immane minantur
 Desuper horrificis, et formidabile pendent!

Hic pestem occultam, et fœcundas sulphure moles
 Cernere erat, magno quas inter mota tumultu
 Prælia fervebant; subito cum claustra fragore
 Horrendum disrupta tonant, semiustaque membra,
 Fumantesque artus, laniataque corpora lethum
 Corripit informe, et rotat ater in æthere turbo.

Sic, postquam Enceladi dejecit fulmine fratres
 Cœlicolum pater, et vetuit contemnere divos:
 Divulsam terræ faciem, ingentesque ruinas
 Mortales stupuere; altum hinc mirantur abesse
 Pelion, invertique imis radicibus Ossam;
 Hic fluvium moles inter confusaque saxa

* Honoratissimus D. Dominus CUTTS. Baro de Gowran, &c.

Reptare, atque aliis discentem currere ripis.
Stant dubii, et notos montes umbrasque requirunt,
Errore ambiguo elusi, et novitate locorum.

Nempe hic AURIA CI nuper vexilla secuta
Confluxere acies, hic, aspera corda, Britanni,
Germanusque ferox, et juncto fœdere Belga;
Quique truci Boreæ, et cœlo damnatus iniquo
Vitam agit in tenebris; et qui dudum ore perusto
Decolor admoti prodit vestigia Phœbi:
Undique conveniunt, totum conscripta per orbem
Agmina, NASSOVIQUE latus socialibus armis
Circumfusa tegunt, fremitusque et murmura miscent,
Tam vario disjuncta situ, tot dissona linguis.

Te tamen e mediis, * Ductor Fortissime, turmis
Exere, Tu vitam (si quid mea carmina possunt)
Accipies, populique encomia sera futuri,
Quem varias edoctum artes, studiisque Minervæ
Omnibus ornatum Marti Rhedycina furenti
Credidit invita, et tanto se jactat alumno.
Hunc nempe ardorem, atque immensos pectoris æstus
Non jubar Arctoum, aut nostri penuria cœli,
Sed plaga torridior, qua sol intentius omnes
Effundit radios, totique obnoxia Phœbo
India progenuit, tenerisque incoxit ab annis
Virtutem immodicam, et generosæ incendia mentis.

Jam quoque torpentem qui infelix suspicit Arcton,
Brumamque æternam frigusque perambulat, ursæ

* Infig. Dom. Christoph. Codrington, unus ex Regii Satellitii Præfectis.

Horridus exuviis, GULIELMI ingentia facta
 Describit fociis, pugnataque in ordine bella
 Attentus numerat, neque brumam aut frigora curat.
 En! vastos nivium tractus et pallida regna
 Deserit, imperio extremum * qui subjicit orbem,
 Indigenasque hyemes, Britonumque Heroa pererrat
 Luminibus tacitis; subeunt nunc fusa Namurcæ
 Mænia, nunc tardo quæ sanguine plurima fluxit
 Boinia, nunc dubii palma indiscreta Senessi.
 Quæ facies, et quanta viri! quo vertice in auras
 Assurgit! quali firmat vestigia gressu,
 Majestate rudi, et torvo spectabilis ore!

Sic olim Alcides, immania membra Leonis
 Instratus spoliis, vasta se mole ferebat,
 Evandri amplexus dextramque adjungere dextræ
 Cum peteret, tectisque ingens succederet hospes.

Dum pugnas, GULIELME, tuas, camposque cruentos
 Accipit, in venis ebullit vividus humor,
 Corda micant crebro, et mentem ferit æmulus ardor.
 Non jam Riphæos hostis populabitur agros
 Impune, aut agitabit inultas Sarmata prædas.

Quis tamen ille procul fremitus! Quæ murmura vulgi
 NASSOVIVM ingeminant! video cava littora circum
 Fervere remigibus, subitisque albescere velis.
 Anglia solve metus, et inanes mitte querelas,
 NASSOVI secuta tui, desiste tumentes
 Prospicere in fluctus animo suspensa, trucesque
 Objurgare notos, tardamque requirere puppim:

* Muscoviæ Imperator.

Optatus tibi Cæsar adest, nec ut ante videbis
Sollicitum belli studiis, fatalia Gallo
Consilia et tacitas versantem in pectore pugnas.
Olli grata quies et pax tranquilla verendum
Composuit vultum, lætosque afflavit honores.

Ut denso circum se plurimus agmine miles
Agglomerat lateri! ut patriam veteresque penates
Respicit exultans! juvat ostentare recentes
Ore cicatrices, et vulnere cruda, notasque
Mucronum insignes, afflataque sulphure membra.
Chara stupet conjux, reducisque incerta mariti
Vestigat faciem; trepida formidine proles
Stat procul, et patrios horrescit nescia vultus.
Ille graves casus, duri et discrimina belli
Enumerat, tumidisque instaurat prælia verbis.
Sic, postquam in patriam fœcunda heroibus Argo
Phryxeam attulerat pellem, lanamque rigentem
Expofuit Graiis, et tortile velleris aurum,
Navita terrificis infamia littora monstris
Describit, mixto spirantem incendia fumo
Serpentem, vigilesque feras, plaustroque gementes
Infolito tauros, et anhelos igne juvencos.

Te tamen, O quantis GULIELME erepte periclis,
Accipimus reducem: tibi Diva Britannia fundit
Plebemque et Proceres: medias quacunque per urbes
Ingredieris, crebræ confurgunt undique pompæ,
Gaudiaque et plausus: mixto ordine vulgus euntem
Circumstat fremitu denso: Tibi Jupiter annum
Serius invertit, luces mirata serenas
Ridet Hyems, festoque vacat cœlum omne triumpho.

Jamque * Nepos tibi parvus adest, lætoque juventæ
 Incessu, et blando testatur gaudia risu.
 Ut Patrius vigor atque elati gratia vultus
 Cæsareum spirant, majestatemque verendam
 Infundunt puero! ut Mater formosa serenat
 Augustam frontem, et sublimia temperat ora!
 Agnosco faciem ambiguum, mixtosque parentes.
 Ille tuas, GULIELME, acies, et tristia bella,
 Pugnasque innocua dudum sub imagine lufit.
 Nunc indignanti similis fugitiva pusillæ
 Terga premit turmæ, et falsis terroribus implet,
 Sternitque exiguum ficto cognomine Gallum.
 Nunc simulat turres, et propugnacula parva
 Nominibus signat variis; subitoque tumultu
 Sedulus infirmas arces, humilemque Namurcam
 Diruit; interea generosæ in pectore flammæ
 Assurgunt sensim juveni, notat ignis honestas
 Purpureo fervore genas, et amabilis horror.

Quis tamen Augustæ immensas in carmine pompas
 Instruet, in luteos ubi vulgo effusa canales
 Vina rubent, variatque infectas purpura sordes?
 Quis lapsus referet stellarum, et fictile cœlum,
 Qua laceram ostendunt redolentia compita chartam,
 Sulphuris exuvias, tubulosque bitumine cassos?

En procul attonitam video clarescere noctem
 Fulgore insolito! ruit undique lucidus imber,
 Flagrantesque hyemes; crepitantia sidera passim
 Scintillant, totoque pluunt incendia cœlo.

* Celsissimus Princeps Dux Glocestrensis.

Nec minus in terris Vulcanus mille figuras
 Induit, ignivomasque feras, et fulgida monstra,
 Terribiles visu formas! hic membra Leonis
 Hispida mentitur, tortisque comantia flammis
 Colla quatit, rutilasque jubas; hic lubricus Anguem
 Ludit, subsiliens, et multo sibilat igne.

Lætitiâ ingentem atque effusa hæc gaudia civis
 Jam tandem securus agit, positoque timore
 Exercet ventos, classemque per ultima mundi
 Impune educit, pelagoque licentius errat:
 Seu constricta gelu, mediisque horrentia Cancri
 Mensibus arva videt; seu turgida malit olenti
 Tendere vela noto, qua thurea flamina miscet
 Æolus, et placidis perfundit odoribus auras.

Vos animæ illustres heroum, umbræque recentes,
 Quarum trunca jacent et adhuc stillantia crudis
 Corpora vulneribus, quibus hæc optabilis orbi
 Parta quies, nondum NASSOVO abducite vestro
 Fida satellitia, at solitis stipate catervis
 Ductorem, et tenues circum diffundite turmas.
 Tuque MARIA, tuos non unquam oblita Britannos,
 O Diva, O patiens magnum expectare maritum,
 Ne terris Dominum invidias, quanquam amplius illum
 Detineant, longamque agitent sub vindicæ pacem.



 B A R O M E T R I Descriptio.

QUA penetrat foffor terræ cæca antra, metallo
 Fœcunda informi, rudibusque nitentia venis;
 Dum stupet occultas gazas, nummosque futuros,
 Eruit argenti latices, nitidumque liquorem;
 Qui nullo effusus prodit vestigia tractu,
 Nec terram signo revolubilis imprimit udo,
 Sed fractus sparsim in globulos formam usque rotundam
 Servat, et in teretes lapsans se colligit orbes.

Incertum qua fit natura, an negligat ultra
 Perficiet, jubar et maturus inutile temnat;
 An potius solis vis imperfecta relinquat
 Argentum male coctum, divitiasque fluentes:
 Quicquid erit, magno se jactat nobilis usu;
 Nec Deus effulfit magis aspectabilis olim,
 Cum Danaen flavo circum pretiosus amictu
 Ambiit, et, gratam suadente libidine formam,
 Depluit irriguo liquefactum Numen in Auro.

Quin age, fume tubum fragilem, cui densior aër
 Exclusus; fundo vitri subsidat in imo
 Argenti stagnum; ut pluvia impendente metallum
 Mobile descendat, vel contra, ubi postulat æstus,
 Prodeat hinc liquor emergens, et rursus inane
 Occupet ascensu, tubulumque excurrat in omnem.

Jam

Jam cœli faciem tempestatēque futuras
 Conscia lympha monet, brumamque et frigora narrat.
 Nam quoties liquor insurgit, vitreoque canali
 Sublatum nequeunt ripæ cohibere priores;
 Tum lætos sperare dies licet, arva fatentur
 Æstatem, et large diffuso lumine rident.
 Sin sese immodicum attollens Argenteus humor,
 Et nimium oppressus, contendat ad ardua vitri,
 Jam sitiunt herbæ, jam succos flamma feraces
 Excoquit, et languent consumto præta virore.

Cum vero tenues nebulas spiracula terræ
 Fundunt, et madidi fluitant super æquora fumi,
 Pabula venturæ pluviæ; tum fusile pondus
 Inferiora petit; nec certior Ardea cœlos
 Indicat humentes, medias quando ætheris oras
 Tranando, crassa fruitur sublimius aura,
 Discutit et madidis rorantia nubila pennis.
 Nunc guttæ agglomerant, dispersas frigora stipant
 Particulas, rarusque in nimbū cogitur humor:
 Prata virent, segetem fœcundis imbribus æther
 Irrigat, et bibulæ radici alimenta ministrat.
 Quin ubi plus æquo descendens uda metalli
 Fundum amat, impatiens pluviæ, metuensque procellam,
 Agricola caveant; non hoc impune colonus
 Aspicit; ostendet mox fœta vaporibus aura
 Collectas hyemes, tempestatemque sonoram.
 At licet Argentum mole incumbente levatum
 Subsidat, penitusque imo se condat in alveo,
 Cætera quæque tument; everfis flumina ripis
 Expatiata ruunt, spumantibus æstuat undis

Diluvium,

Diluvium, rapidique effusa licentia ponti.

Nulla tacet secreta poli mirabile vitrum,

Quin varios cœli vultus et tempora prodit.

Ante refert, quando tenui velamine tutus

Incedes, quando sperabis frigidus ignem.

Augurio hoc fretus, quanquam atrî nubila cœli

Dirumpunt obscura diem, pluviasque minantur;

Machina si neget, et sudum promittat apertum,

Audax carpat iter nimbo pendente viator;

Nec metuens imbrem, poscentes Messor aristas

Prosternat: terræ jam bruma incumbit inermis,

Frigoraque haud nocitura cadunt, feriuntque paratos.



ΠΥΓΜΑΙΟ-ΓΕΡΑΝΟΜΑΧΙΑ,

SIVE,

P R Æ L I U M

I N T E R

PYGMÆOS et GRUES commissum.

Pennatas acies, et lamentabile bellum
 Pygmeadum refero: parvas tu, Musa, cohortes
 Instrue; tu gladios, mortemque minantia rostra,
 Offensosque Grues, indignantesque pusillam
 Militiam celebra; volucrumque hominumque tumultus.

Heroum ingentes animos et tristia bella
 Pieridum labor exhaustit, versuque sonoro
 Jussit et æterna numerorum assurgere pompa:
 Quis lectos Graium juvenes, et torva tuentem
 Thesea, quis pedibus velocem ignorat Achillem?
 Quem dura Æneæ certamina, quem GULIELME
 Gesta latent? fratres Thebani, et flebile fatum
 Pompeii quem non delassavere legentem?
 Primus ego intactas acies, gracilemque tubarum

Carmine

Carmine depingam sonitum, nova castra secutus;
 Exiguosque canam pugiles, Gruibusque malignos
 Heroas, nigrisque ruentem è nubibus hostem.

Qua solis tepet ortu, primitiisque diei
 India lata rubet, medium inter inhospita saxa
 (Per placidam vallem, et paucis accessa vieta)
 Pygmæum quondam steterat, dum fata sinebant,
 Imperium. Hic varias vitam excoluere per artes
 Seduli, et assiduo fervebant arva popello.
 Nunc si quis dura evadat per saxa viator,
 Desertosque lares, et valles ossibus albas
 Exiguis videt, et vestigia parva stupefcit.
 Desolata tenet victrix impune volucris
 Regna, et securo crepitat Grus improba nido.
 Non sic, dum multos stetit insuperabilis annos
 Parvula progenies; tum, si quis cominus ales
 Congredi, et immixtæ auderet se credere pugnae,
 Miles atrox aderat, sumptisque feroculus armis
 Sternit humi volucrem moribundam, humerisque reportat
 Ingentem prædam; cæsoque epulatur in hoste.
 Sæpe improvisas mactabat, sæpe juvabat
 Diripere aut nidum, aut ulcisci in prole parentem.
 Nempe larem quoties multa construxerat arte,
 Aut uteri posuisset onus, volucrumque futuram;
 Continuo vultu spirans immane minaci
 Omnia vastaret miles, fœtusque necaret
 Immeritos, vitamque abrumperet imperfectam,
 Cum tepido nondum maturuit hostis in ovo.

Hinc causæ irarum, bella hinc, fatalia bella,
 Atque acies letho intentæ, volucrumque virumque

Commisæ

Commissæ strages, confusaque mortis imago.
 Non tantos motus, nec tam memorabile bellum,
 Mæonius quondam sublimi carmine vates
 Lufit; ubi totam strepituque armisque paludem
 Miscuit: hic (visu miserabile!) corpora murum
 Sparsa jacent juncis transfixa, hic gutture rauco
 Rana dolet, pedibusque abscisso poplite ternis
 Reptar humi, solitis nec sese saltibus effert.

Jamque dies Pygmæo aderat, quo tempore cæsi
 Pœnituit foetus, intactaque maluit ova.
 Nam super his accensa graves exarsit in iras
 Grus stomachans; omnesque simul, quas Strymonis unda,
 Aut stagnum Mareotidis, imi aut uda Caystri
 Prata tenent, adsunt; Scythicaque excita palude,
 Et conjurato volucris descendit ab Istro,
 Stragesque immensas et vulnera cogitat absens,
 Exacuitque ungues ictum meditata futurum,
 Et rostrum parat acre, fugæque accommodat alas.
 Tantus amor belli, et vindictæ arrecta cupido.
 Ergo ubi ver nactus proprium, suspensus in alto
 Aëre concussis exercitus obstrepit alis,
 Terræque immensos tractus, semotaque longe
 Æquora despiciunt, Boreamque et nubila tranant
 Innumeri: crebro circum ingens fluctuat æther
 Flamme, et assiduus miscet cœlum omne tumultus.

Nec minor in terris motus, dum bella faceffit
 Impiger, instituitque agmen, firmatque phalangas,
 Et furit arreptis animosus homuncio telis:
 Donec turma duas composita excurrat in alas,
 Ordinibusque frequens, et marte instructa perito.

Jamque acies inter medias sese arduus infert,
 Pygmeadum ductor, qui majestate verendus
 Incessuque gravis reliquos supereminet omnes
 Mole gigantea, mediamque assurgit in ulnam.
 Torvior aspectu (hostilis nam insculperat unguis
 Ore cicatrices) vultuque ostentat honesta
 Rostrorum signa, et crudos in pectore morsus.
 Immortali odio, æternisque exercuit iris
 Alituum gentem, non illum impune volucris
 Aut ore, aut pedibus peteret confusus aduncis.
 Fatalem quoties Gruibus distrinxerat ensem,
 Truncavitque alas, celerique fugam abstulit hosti!
 Quot fecit strages! quæ nudis funera pullis
 Intulit, heu! quoties implevit Strymona fletu!

Jamque procul sonus auditur, piceamque volantum
 Prospectant nubem bellumque hostesque ferentem.
 Crebrescit tandem, atque oculis se plurimus offert
 Ordinibus structus variis exercitus ingens
 Alituum, motisque eventilat aera pennis.
 Turba polum replet, specieque immanis obumbrat
 Agmina Pygmæorum, et densa in nubibus hæret:
 Nunc densa, at patriis mox reddita rarior oris.
 Belli ardent studio Pygmæi, et lumine sævo
 Suspiciunt hostem; nec longum tempus, et ingens
 Turba Gruum horrifico sese super agmina lapsu
 Præcipitat gravis, et bellum sperantibus infert:
 Fit fragor; avulsæ volitant circum aera plumæ.
 Mox defessa iterum levibus sese eripit alis,
 Et vires reparata iterum petit impete terras.
 Armorum pendet fortuna: hic fixa volucris

Cuspide,

Cuspide, sanguine sese furibunda rotatu
 Torquet agens circum, rostrumque intendit in hostem
 Imbelle, et curvos in morte recolligit unguis.
 Pygmæi hic stillat lentus de vulnere sanguis,
 Singultusque ciet crebros, pedibusque pusillis
 Tundit humum, et moriens unguem execratur acutum.
 Æstuat omne solum strepitu, tepidoque rubescit
 Sanguine, sparguntur gladii, sparguntur et alæ,
 Unguesque et digiti, commistaque rostra lacertis.

Pygmeadum sævit, mediisque in millibus ardet
 Ductor, quem late hinc atque hinc pereuntia cingunt
 Corpora fusa Gruum; mediaque in morte vagatur,
 Nec plausu alarum, nec rostri concidit ictu.
 Ille Gruum terror, illum densissima circum
 Miscetur pugna, et bellum omne laborat in uno:
 Cum, subito appulsus (sic Dî voluere) tumultu
 Ex inopino ingens et formidabilis Ales
 Comprendit pedibus pugnantem; et (triste relatu)
 Sustulit in cœlum; bellator ab unguibus hæret
 Pendulus, agglomerat strepitu globus undique densus
 Alituum; frustra Pygmæi lumine mæsto
 Regem inter nubes lugent, solitoque minorem
 Heroem aspiciunt Gruibus plaudentibus escam.

Jamque recrudescit bellum, Grus desuper urget
 Pygmæum rostro, atque hostem petit ardua morsu;
 Tum fugit alta volans; is sursum brachia jactat
 Vulneris impatiens, et inanes sævit in auras.
 Talis erat belli facies, cum Pelion ingens
 Mitteret in cœlum Briareus, solioque Tonantem
 Præcipitem excuteret; sparguntur in æthere toto

G g g 2.

Fulminaque

Fulminaque scopulique: flagrantia tela deorsum
 Torquentur Jovis acta manu, dum vasta Gigantum
 Corpora fusa jacent, semiustaque sulphure fumant.

Viribus absumptis penitus Pygmeia tandem
 Agmina languescunt; ergo pars vertere terga
 Horribili perculsa metu, pars tollere vocem
 Exiguam; late populus Cubitalis oberrat.
 Instant a tergo volucres, lacerantque trahuntque
 Immites, certae gentem extirpare nefandam.

Sic Pygmæa domus multos dominata per annos,
 Tot bellis defuncta, Gruum tot læta triumphis,
 Funditus interiit: Nempe exitus omnia tandem
 Certus Regna manet, sunt certi denique fines,
 Quos ultra transire nefas: sic corruiit olim
 Assyriæ Imperium, sic magnæ Persidis imis
 Sedibus eversum est, et majus utroque Latinum.
 Elysi valles nunc agmine lustrat inani,
 Et veterum Heroum miscetur grandibus umbris
 Plebs parva: aut, si quid fidei mereatur anilis
 Fabula, Pastores per noctis opaca pusillas
 Sæpe vident umbras, Pygmæos corpore cassos.
 Dum secura Gruum, et veteres oblita labores,
 Latitiæ penitus vacat, indulgetque choreis,
 Angustosque terit calles, viridesque per orbis
 Turba levis salit, et lemorum cognomine gaudet.



R E S U R-

RESURRECTIO

D E L I N E A T A

Ad Altare Col. Magd. Oxon.

EGregios fuci tractus, calamiq̄ue labores,
Surgentesq̄ue hominum formas, ardentiaq̄ue ora
Judicis, et simulachra modis pallentia miris,
Terribilem visu pompam, tu carmine Musa
Pande novo, vatiquē sacros accende furores.

Olim planitiem (quam nunc fœcunda colorum
Insignit pictura) inhonesto et simplice cultu
Vestiit albedo, sed ne rima ulla priorem
Agnoscat faciem, mox fundamenta futuræ
Substravit pictor tabulæ, humoremq̄ue sequacem.
Per muros traxit; velamine mœnia crasso
Squallent obducta, et rudioribus illita fucis.

Utque (polo nondum stellis fulgentibus apto)
Ne spatium moles immensa dehiscat inani,
Per cava cœlorum, et convexa patentia late
Hinc atque hinc interfusus fluitaverat æther;
Mox radiante novum torrebat lumine mundum

Titan,

Titan, et pallens alienos mitius ignes
 Cynthia vibrabat; crebris nunc confitus astris
 Scintillare polus, nunc fulgor Lacteus omne
 Diffluere in cœlum, longoque albescere tractu.

Sic, operis postquam lufit primordia pictor,
 Dum fordet paries, nullumque fatetur Apellem,
 Cautius exercet calamos, atque arte tenacem
 Confundit viscum, succosque attemperat, omnes
 Inducit tandem formas; apparet ubique
 Muta cohors, et picturarum vulgus inane.

Aligeris muri vacat ora suprema ministris,
 Sparfaque per totam cœlestis turba tabellam
 Raucos inspirat lituos, buccasque tumentes
 Inflat, et attonitum replet clangoribus orbem.
 Defunctis sonus auditur, tabulamque per imam
 Picta gravescit humus, terris emergit apertis
 Progenies rediviva, et plurima surgit imago.

Sic, dum fœcundis Cadmus dat semina fulcis,
 Terra tumet prægnans, animataque gleba laborat,
 Luxuriatur ager segete spirante, calefcit
 Omne solum, crescitque virorum prodiga messis.

Jam pulvis varias terræ dispersa per oras,
 Sive inter venas teneri concreta metalli,
 Sensim dirigit, seu sese immiscuit herbis,
 Explicita est; molem rursus coalescit in unam
 Divisum funus, sparsos prior alligat artus
 Junctura, aptanturque iterum coëuntia membra.
 Hic nondum specie perfecta resurgit imago,
 Vultum truncata, atque inhonesto vulnere nares
 Manca, et adhuc deest infirmi de corpore multum.

Paulatim

Paulatim in rigidum hic vita insinuata cadaver
Motu ægro vix dum redivivos erigit artus.
Inficit his horror vultus, et imagine tota
Fusa per attonitam pallet formido figuram.

Detrahe quin oculos spectator, et, ora nitentem
Si poterint perferre diem, medium inspice murum,
Qua sedet orta Deo proles, Deus ipse, sereno
Lumine perfusus, radiisque inspersus acutis.
Circum tranquillæ funduntur tempora flammæ,
Regius ore vigor spirat, nitet ignis ocellis,
Plurimaque effulget majestas numine toto.

Quantum dissimilis, quantum o! mutatus ab illo,
Qui peccata luit cruciatus non sua, vitam
Quando luctantem cunctata morte trahebat!
Sed frustra voluit defunctum Golgotha numen
Condere, dum victa fatorum lege triumphans
Nativum petiit cœlum, et super æthera vectus
Despexit lunam exiguam, solemque minorem.

Jam latus effossum, et palmas ostendit utrasque,
Vulnusque infixum pede, clavorumque recepta
Signa, et transacti quondam vestigia ferri.
Umbrae huc felices tendunt, numerosaque cœlos
Turba petunt, atque immortalia dona capeffunt.
Matres, et longæ nunc reddita corpora vitæ
Infantum, juvenes, pueri, innuptæque puellæ
Stant circum, atque avidos jubar immortale bibentes
Affigunt oculos in Numine; laudibus æther
Intonat, et læto ridet cœlum omne triumpho.
His amor impatiens conceptaque gaudia mentem
Funditus exagitant, imoque in pectore fervent.

Non :

Non æque exultat flagranti corde Sibylla,
 Hospite cum tumet incluso, et præcordia sentit
 Mota Dei stimulis, nimioque calentia Phœbo.

Quis tamen ille novus perstringit lumina fulgor?
 Quam Mitra effigiem distinxit pictor, honesto
 Surgentem e tumulo, alatoque satellite fultam?
 Agnosco faciem, vultu latet alter in illo
 * Wainfletus, sic ille oculos, sic ora ferebat:
 Eheu quando animi par invenietur Imago!

Quando alium similem virtus habitura!-----
 Irati innocuas securus numinis iras
 Aspicit, impavidosque in Judice figit ocellos.

Quin age, et horrentem commixtis igne tenebris
 Jam videas scenam; multo hic stagnantia fuco
 Mœnia, flagrantem liquefacto sulphure rivum
 Fingunt, et falsus tanta arte accenditur ignis,
 Ut toti metuas tabulæ, ne flamma per omne
 Livida serpat opus, tenuesque absumpta recedat
 Pictura in cineres, propriis peritura favillis.
 Huc turba infelix agitur, turpisque videri
 Infrendet dentes, et rugis contrahit ora.
 Vindex a tergo implacabile sævit, et enssem
 Fulmineum vibrans acie flagrante scelestos
 Jam Paradiseis iterum depellit ab oris.
 Heu! quid agat tristis? quo se cœlestibus iris
 Subtrahat? o! quantum vellet nunc æthere in alto
 Virtutem colere! at tandem suspiria ducit

* Coll. Magd. Fundator.

Nequicquam, et sero in lachrymas effunditur; obstant
Sortes non revocandæ, et inexorabile numen.

Quam varias aperit veneres pictura! periti
Quot calami legimus vestigia! quanta colorum
Gratia se profert! tales non discolor Iris
Ostendat, vario cum lumine floridus imber
Rore nitet toto, et gutta scintillat in omni.

O fuci nitor, o pulchri durate colores!
Nec, pictura, tuæ languescat gloria formæ,
Dum lucem videas, qualem exprimis ipsa, supremam.

S P H Æ R I S T E R I U M.

HIC, ubi graminea in latum sese explicat æquor
Planities, vacuoque ingens patet area campo,
Cum solem nondum fumantia prata fatentur
Exortum, et tumidæ pendent in gramine guttæ,
Improba falx noctis parva incrementa prioris
Defecat, exiguam radens a cespite messem:
Tum motu assiduo saxum versatile terram
Deprimit extantem, et surgentes atterit herbas.
Lignea percurrunt vernantem turba palæstram
Unctæ, nitens oleo, formæ quibus esse rotundæ
Artificis ferrum dederat, facilisque moveri.
Ne tamen offendant incauti errore globorum,
Quæque suis incisa notis stat sphaera; sed unus
Hanc vult, quæ infuso multum inclinata metallo

Vertitur in gyros, et iniquo tramite currit;
 Quin alii diversa placet, quam parcius urget
 Plumbea vis, motuque finit procedere recto.

Postquam ideo in partes turbam distinxerat aquas
 Consilium, aut fors; quisque suis accingitur armis.
 Evolat orbiculus, quæ cursum meta futurum
 Designat; jactique legens vestigia, primam,
 Qui certamen init, sphæram demittit, at illa
 Leniter effusa, exiguum quod ducit in orbem,
 Radit iter, donec sensim primo impete fesso
 Subsistat; subito globus emicat alter et alter.

Mox ubi funduntur late agmina crebra minorem
 Sparsa per orbiculum, stipantque frequentia metam,
 Atque negant faciles aditus; jam cautius exit,
 Et leviter sese insinuat revolubile lignum.

At si forte globum, qui misit, spectat inertem
 Serpere, et impressum subito languescere motum,
 Pone urget sphærae vestigia, et anxius instat,
 Objurgatque moras, currentique imminet orbi.
 Atque ut segnis honos dextrae fervetur, iniquam
 Inculcat terram, ac surgentem in marmore nodum.

Nec risus tacuere, globus cum volvitur actus
 Infami jactu, aut nimium vestigia plumbum
 Allicit, et sphæram a recto trahit insita virtus.
 Tum qui projecit, strepitus effundit inanes,
 Et, variam in speciem distorto corpore, falsos
 Increpat errores, et dat convitia ligno.

Sphæra sed, irarum temnens ludibria, cœptum
 Pergit iter, nullisque movetur surda querelis.

illa tamen laudes summumque meretur honorem,

Quæ

Quæ non dirumpit cursum, absistitque moveri,
 Donec turbam inter crebram dilapsa supremum
 Perfecit stadium, et metæ inclinata recumbit.
 Hostis at hærentem orbiculo detrudere sphæram
 Certat, luminibusque viam signantibus omnes
 Intendit vires, et missile fortiter urget:
 Evolat adducto non segnis sphæra lacerto.

Haud ita profiliens Elæo carcere pernix
 Auriga invêhitur, cum raptus ab axe citato
 Currentesque domos videt, et fugientia tecta.

Si tamen in duros, obstructa satellite multo,
 Impingant socios, confundatque orbibus orbes;
 Tum fervet bilis, fortunam damnat acerbam,
 Atque Deos atque astra vocat crudelia.-----

Si vero incurfus faciles, aditumque patentem
 Inveniat, partoque hostis spoliatur honore:
 Turba fremit confusa, sonisque frequentibus, euge,
 Exclamant focii; plausu strepit omne viretum.

Interea fessos inimico Sirius astro
 Corripit, et faldas exudant corpora guttas;
 Lenia jam zephyri spirantes frigora, et umbræ
 Captantur, vultuque fluens abstergitur humor.



A D

D. D. H A N N E S,

INSIGNISSIMUM

M E D I C U M et P O E T A M.

O Qui canoro blandius Orpheo
 Vocale ducis carmen, et exitu
 Feliciore luctuosis
 Sæpe animam revocas ab umbris,
 Jam seu solutos in numerum pedes
 Cogis, vel ægrum et vix animæ tenax
 Corpus tueris, seu cadaver
 Luminibus penetras acutis;
 Opus relinquens eripe te moræ,
 Frontemque curis sollicitam explica,
 Scyphumque jucundus require
 Purpureo gravidum Lyæo.
 Nunc plena magni pocula postules
 Memor WILHELMI, nunc moveat fitim
 Minister ingens, imperique
 Præsidium haud leve, MONTACUTUS.

Omitte

Omitte tandem triste negotium
Gravesque curas, heu nimium pius!

Nec cæteros cautus mederi

Ipse tuam minuas salutem.

Frustra cruorem pulsibus incitis
Ebullientem pollice comprimis,

Attentus explorare venam

Quæ febris exagitet tumentem:

Frustra liquores quot Chymica expedit

Fornax, et error sanguinis, et vigor

Innatus herbis te fatigant:

Serius aut citius sepulchro

Debemur omnes, vitæque deseret

Expulsa morbis corpus inhospitum,

Lentumque deslebunt nepotes

(Reliquias animæ) cadaver.

Manes videbis tu quoque fabulas,

Quos pauciores fecerit ars tua;

Suumque victorem vicissim

Subjiciet libitina victrix.

Decurrit illi vita beatior

Quicumque lucem non nimis anxius

Reddit molestam, urgetve curas

Sponte sua fatis ingruentes;

Et quem dierum lene fluentium

Delectat ordo, vitæque mutuis

Felix amicis, gaudiisque

Innocuis bene temperata.

Machinæ

 Machinæ Gesticulantes,

A N G L I C E

A P U P P E T - S H O W.

Admiranda cano levium spectacula rerum,
 Exiguam gentem, et vacuum sine mente popellum;
 Quem, non surreptis cœli de fornice flammis,
 Innocua melior fabricaverat arte Prometheus.

Compita qua risu fervent, glomeratque tumultum
 Histrio, delectatque inhiantem scommate turbam;
 Quotquot lætitiæ studio aut novitate tenentur,
 Undique congressi permissa sedilia complent.
 Nec confusus honos; nummo subsellia cedunt
 Diverso, et varii ad pretium stat copia scamni.
 Tandem ubi subtrahitur velamen, lumina passim
 Angustos penetrant aditus, qua plurima visum
 Fila secant, ne, cum vacuo datur ore fenestra,
 Pervia fraus pateat: mox stridula turba penates
 Ingreditur pictos, et mœnia squallida fuco.
 Hic humiles inter scenas, angustaque claustra,
 Quicquid agunt homines, concursus, bella, triumphos,

Ludit

Ludit in exiguo plebecula parva teatro.

Sed præter reliquos incedit HOMUNCIO rauca
 Voce strepens; major subnectit fibula vestem,
 Et referunt vivos errantia lumina motus;
 In ventrem tumet immodicum; pone eminent ingens
 A tergo gibbus; Pygmæum territat agmen
 Major, et immanem miratur turba Gigantem.
 Hic magna fretus mole, imparibusque lacertis
 Confusus, gracili jactat convitia vulgo,
 Et crebro solvit, lepidum caput, ora cachinno.
 Quanquam res agitur solenni seria pompa,
 Spernit sollicitum intractabilis ille tumultum,
 Et risu importunus adest, atque omnia turbat.
 Nec raro invadit molles, pictamque protervo
 Ore petit Nympham, invitoque dat oscula ligno.

Sed comitum vulgus diversis membra fatigant
 Ludis, et vario lascivit mobile saltu.

Sæpe etiam gemmis rutila, et spectabilis auro,
 Lignea gens prodit, nitidisque superbit in ostris.
 Nam, quoties festam celebrat sub imagine lucem,
 Ordine composito Nympharum incedit honestum
 Agmen, et exigui proceres, parvique quirites.
 Pygmæos credas positis mitescere bellis,
 Jamque, infensa Gruum temnentes prælia, tutos
 Indulgere jocis, tenerisque vacare choreis.

Tales, cum medio labuntur fidera cælo,
 Parvi subsiliunt Lemures, populusque pusillus
 Festivos, rediens sua per vestigia, gyros
 Ducit, et angustum crebro pede pulsitat orbem.
 Mane patent gressus; hinc succos terra feraces

Concipit,

Concipit, in multam pubentia gramina surgunt
Luxuriam, tenerisque virescit circulus herbis.

At non tranquillas nulla abdunt nubila luces,
Sæpe gravi surgunt bella, horrida bella, tumultu.
Arma cient truculenta cohors, placidamque quietem
Dirumpunt pugna; usque adeo infincera voluptas
Omnibus, et mistæ castigant gaudia curæ.
Jam gladii, tubulique ingesto sulphure fœti,
Protensæque hastæ, fulgentiaque arma, minæque
Telorum ingentes subeunt; dant claustra fragorem
Horrendum, ruptæ stridente bitumine chartæ
Confusos reddunt crepitus, et sibila miscent.
Sternitur omne solum pereuntibus; undique cæsæ
Apparent turmæ, civilis crimina belli.

Sed postquam insanus pugnae deferbuit æstus,
Exuerintque truces animos, jam Marte fugato,
Diversas repetunt artes, curasque priores.
Nec raro prisca heroes, quos pagina sacra
Suggerit, atque olim peperit felicior ætas,
Hic parva redeunt specie. Cano ordine cernas
Antiquos prodire, agmen venerabile, Patres.
Rugis fulcantur vultus, proluxaque barbæ
Canities mento pendet: sic tarda senectus
TITHONUM minuit, cum moles tota cicadam
Induit, in gracilem sensim collecta figuram.

Nunc tamen unde genus ducat, quæ dextra latentes
Suppeditet vires, quem poscat turba moventem,
Expediam. Truncos opifex et inutile lignum
Cogit in humanas species, et robore natam
Progeniem telo efformat, nexuque tenaci

Crura

Crura ligat pedibus, humerisque accommodat armos,
 Et membris membra aptat, et artubus infuit artus.
 Tunc habiles addit trochleas, quibus arte pusillum
 Versat onus, molique manu famulatus inertis
 Sufficit occultos motus, vocemque ministrat.
 His structa auxiliis jam machina tota peritos
 Ostendit sulcos, duri et vestigia ferri:
 Hinc salit, atque agili se subleuat incita motu,
 Vocesque emittit tenues, et non sua verba.

Ad Insignissimum Virum

D. THO. BURNETTUM,

Sacræ Theoriæ Telluris Autorem.

NON usitatum carminis alitem,
 BURNETTE, poscis, non humiles modos:
 Vulgare plectrum, languidæque
 Respuis officium camœnæ.
 Tu mixta rerum semina conscius,
 Molemque cernis dissociabilem,
 Terramque concretam, et latentem
 Oceanum gremio capaci:
 Dum veritatem quærere pertinax
 Ignota pandis, sollicitus parum

VOL. I.

I i i

Utcunque

Utcunque stet commune vulgi
 Arbitrium et popularis error.
 Auditur ingens continuo fragor,
 Illapsa tellus lubrica deserit
 Fundamina, et compage fracta
 Suppositas gravis urget undas.
 Impulsus erumpit medius liquor,
 Terras aquarum effusa licentia
 Claudit vicissim; has inter orbis
 Reliquiæ fluitant prioris.
 Nunc et recluso carcere lucidam
 Balæna spectat solis imaginem,
 Stellasque miratur natantes,
 Et tremulæ simulacra lunæ.
 Quæ pompa vocum non imitabilis!
 Qualis calefcit spiritus ingeni!
 Ut tollis undas! ut frementem
 Diluvii reprimis tumultum!
 Quis tam valenti pectore ferreus
 Ut non tremiscens et timido pede
 Incedat, orbis dum dolosi
 Detegis instabiles ruinas?
 Quin hæc cadentum fragmina montium
 Natura vultum sumere simplicem
 Coget refingens, in priorem
 Mox iterum reditura formam.
 Nimbis rubentem sulphureis Jovem
 Cernas; ut udis sævit atrox hyems
 Incendiis, commune mundo
 Et populis meditata bustum!
 Nudus.

Nudus liquentes plorat Athos nives,
Et mox liquefcens ipse adamantinum
Fundit cacumen, dum per imas
Saxa fluunt refoluta valles.

Jamque alta cœli mœnia corruunt,
Et veftra tandem pagina (proh nefas!)
BURNETTE, veftra augebit ignes,
Heu focio peritura mundo.

Mox æqua tellus, mox fubitus viror
Ubique rident: En teretem globum!
En lata vernantis Favonî

Flamina, perpetuosque flores!
O peftus ingens! O animum gravem,
Mundi capacem! fi bonus auguror,
Te, noftra quo tellus fuperbit,
Accipiet renovata civem.



Nihil liquentes plorat Aethos nives,
 Et mox hinc inde iple adamantinum
 Pedit cacumen, dum per iuras
 Saxa sunt reclusa vales.
 Jaspas alta cœli moenia circum
 Et velle tandem pagina (proh nefas!)
 BURNETT, velle accipit ignes.
 Hec locis periturus mundo.
 Mox exus tellus, mox subitus visor
 Uridic ridet: Ha terrena globum!
 In laza vernantis Favoni
 Flammis, perpetuosque flores!
 O pectus ingens! O animam travent
 Mundi capaxem! si bonus augur
 Te, nescia duo tellus sperdit
 Accipite renovata civem.

